

1551

Sed ut ad institutum narrationis cursum redeamus, Julii in pacem studio, Veralli ad Henricum legatione, Venetorum crebris ad concordiam dehortationibus vehementer Cæsar commovebatur; veritus, ne, si ad Henricum Julius accederet, totius belli pondus ad se transiret. Itaque nihil, quo sibi illum conciliaret, omittebat, Joannemque Marinellum Romam miserat, ut cum Didaco Mendozzio, ne Verallus in Galliam proficisceretur, contenderet; æquum non esse, ut Cæsar, qui ejus voluntate, ac nutu arma induerat, cum Rege pace icta, solus gravi, ac difficiili bello premeretur. Verum a suscepta sententia minime Julius deduci potuit; quinimo, legato in Galliam proficisci iusso, tractandæ pacis ejusmodi mandata dedit, quibus, Parma excepta, quæcumque Henricus posceret, concessurum, pollicebatur. Verallus per dispositos equos in Galliam contendit; Carporum Cardinalis ægritudine correptus, legationis ad Cæsarem sibi delato munere minime functus est. Interea Parmam Cæsareanis, Mirandulam Pontificiis copiis circumfidentibus, levioribus tantum præliis agebatur. Henricus Lutetiæ pecunias, tormenta, copias expediri curabat, seque ad bellum profecturum Joanni Capellio Reipublicæ legato significavit; ad id vero magis in dies accendebatur, quod & pecunia potens, & externis Principum amicitiis suffultus, miliaris virtutis fructum per socordiam amittere turpe sibi esse existimaret. Interim vero legato in Galliam profecto, ac per honorifice habito, se a pace minime abhorerre significat; Cardinalem Tornonium Venetiis adhuc commorantem Romam proficisci jubet, quo Julium spe pacis alliciendo, cunctatione adhibita, ad belli apparatus negligentiorem redderet; cum secum ipse Octavium Parma minime excludere statuisset, ne urbs ad res Cæsaris turbandas, ac vexandas opportuna sibi eriperetur. De Regis vero in Italiam adventu cum fama percrebresceret, Cæsar, de Belgico itinere consiliis mutatis, Augusta ad Oenipontem contendit. Eum ibi Mauritii Saxonum Duxis, & Marchionis Brandenburgici, ac multorum Germaniæ procerum legati conveniunt; Philippum Hessiæ Lantgravium, qui jam triennio carcere detinebatur, libertate donari petunt. Cæsar Mauritium Saxonem Oenipontem accersit, quod gravissimis cum eo de rebus sibi agendum sit. Obnuntiant legati, atque

*Joannes
Marinellus
a Cæsare ad
Pontificem
missus.*

*Julius
Pont. Ve-
rallum le-
gatum in
Galliam
mittit.*

*Joannes
Capellius
apud Hen-
ricum Regæ
orator.*

*Tornonius
Cardinalis
ab Henrico
Romæ pro-
ficisci jube-
tur.*

*Carolus Cæ-
sar ad Oeni-
pontem se
confert.*

ut